



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Caput XLV. De Aedificatione Castri Swetze & impugnatione ipsius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Conradus Landgr. Thur. V. Magister Ord. Gener.
Poppe de Osterne II. Magister Provincialis in Prussia*

qvos, qvi Fratrum subditos nec pacificè ascendere aut descendere navigio permiserunt: qvin spoliarent eos rebus suis, vel caperent ac mactarent.

C A P U T X L V .

De

Ædificatione Castris Swetze & impugnatione ipsius.

Fratres itaque videntes sibi nova bella imminere Castrum Sardovicz fideli suo Samborio filio Svantopelci resignantes cum omnibus attinentiis commiserunt, ecce mira res & ultra modum stupenda, filii opposuerunt se Patri propter severitatem, quam in fidei & fidelium ignominiam exercebat. Hoc facto fratres miserunt nuncios Legato sedis Apostolicæ & Magistro Generali, nunciantes eis, novum bellum & Statum terræ Pruschiæ. Quo auditio Legatus personaliter crucem contra dictum tyrannum prædicavit, & mandavit in diversis regnis & Provinciis auctoritate Apostolica prædicari. Sed quia perversa malitia & malitiosa perversitas reproborum latatur cum male fecerit, & exultat in rebus pessimis, ideo iste gavisus valde de castro Santirio, quod in grave construxit præjudicium fidei & Christi fidelium, incœpit ædificare castrum aliud ex opposito civitatis nunc Culmensis, quæ dicitur (a) Svvecza, ut omnino in fluvio Wisele tam supra quam infra transitus Navigio necessarius valde fratribus non pateat. Quod cum ad aures Magistri deveniret mandavit fratribus de Colmine, ut cum suis navigio descenderent. Ipse autem cum Fratribus de Thorun & Duce Casemiro ad dictum locum intenderet cum exercitu eqvitare vole-

207P

*Conradus Landgr. Thur. V. Magister General. Ord. Teut.
Popo de Osterna II. Magister Provincialis in Prussia.*

volebat, nempè dicti castrum ædificationem impedire. Svvantepelcus videns naves fratrum ad Littus applicari, sublatis tentoriis, pontem, per quem aditus ad castrum patuit, dejecit & fugit. Tandem retrospiciens vidensque, quod fratres eqvites cum suo exercitu non possent convenire ad eos, qui de Colmine navigio descenderant propter profunditatem fluminis, quod fuit medium inter eos, resumptâ audaciâ cum suis rediit, & dum videret Magistrum se ad impugnationem castrum inclinare, refecto celeriter ponte, misit CCC. Viros ad castrum, ut defenserent. Aggressi ergò fratres cum Duce Casimiro castrum fortissimè impugnaverunt, & tam durum inter eos fuit bellum, quod utriusque partis plures homines fuerunt letaliter vulnerati, & de castro multi mortui ceciderunt, sed quia castrum à Deo firmatum fuit quod de facili non potuit expugnari fratribus infecto negotio recendentibus, Svantepelcus reversus ipsum castrum melius confirmavit.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. XLV.

- (a) Erasmus Stella à Svecis sive Gothis hoc oppidum antiquissimis temporibus esse conditum autumat, eò quod ipso nomine memoria Svecorum conservare videatur. Sed dubium primò est, utrum eò tempore populi illi Septentrionales dicti sunt Sveci, ut nunc dicuntur. Antiquitus enim appellati sunt SVEVI, deinde SVEONES, tandem SVEDI, & regnum ipsum SVEDIODA & postea contractè SVEDIA. SVECORUM verò nomen recentissimum est. Vid. Hugo Grotius in Prolegom. ad Procop. Johan. Loccenius Lib. I. Antiq. Sveco. Goth. cap. I. fin.
- (b) Muniuit illud castrum An. 1340. Djedericus ab Aldenburg Magister generalis, teste Hermiebergero in Comment. pag. 431.

T 2

CAP.